



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

Præfatio ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](#)

P R A E F A T I O
ad
L E C T O R E M.



Um Christianæ fidei fundamenta , & disciplinæ secundum eam instituendæ rationes , mecum executio , totiusque doctrinæ coagmentationem , & Ecclesiæ inde subitò atque præter omnium opinionem nascentis prima quasi incunabula perpendo , totus mihi animus in hâc unâ contemplatione defixus est , qui fieri potuerit , ut tanta ea mox caperet incrementa , quæ nisi in annalibus forent , hodiè fabulæ viderentur . Quis enim verò credere vellet , hominem ignominiosâ morte affligum , & servili supplicio extingutum eâ pietate hominum , etiam prudentissimorum & judicio singulari præditorum , peccata imbuere potuisse , ut divinâ eum veneratione colere , & propter eum dirissima & atrocissima supplicia subire haud vere rentur ? Et constat tamen ex libris veterum memoriarum , ipsis illis temporibus , quæ ad ætatem rei gestæ proximè accedunt , per dissipissimas mundi regiones , ipsum mox ut Dominum cultum , & divinis honoribus ubique affectum fuisse , tantumque illicò prodidisse in omnibus terris Christianorum numerum , ut terrori essent gentibus , inter quas vivebant , & in ipsâ etiam Urbe æternâ , quam se ineptè jaçtabat Roma , trepidaretur . *Hesterni sumus* , inquit Tertullianus , *& vestra omnia implevimus , urbes , insulas , castella , municipia , conciliabula , castra ipsa , tribus , decurias , palatum , Senatum , forum . Sola vobis relinquimus templa . Cui bello non idonei , non prompti fuissimus , etiam impares copiis , qui tam libenter trucidamus , si non apud istam disciplinam magis occidi liceret , quam occidere ? Potuimus & inermes nec rebelles , sed tantummodo discordes solius diuertiri in via ad versus vos dimicasse . Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis , suffudisset utique dominationem vestram tot qualimcung , amissio ciuitum , imò etiam &*

P R A E F A T I O

ipſa deſtitutione puniſſet. Proculdubio expauſiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam quaſi mortuae Urbis, quaſiſſetis, quibus in eā imperaſſetis. Quod ſi porrō ipſa Christianorum religio paulo attentiū conſideretur, nihil quicquam in eā invenitur aut honoris, aut commodi, quod attrahere ad ſe atque inflammarē ſui amore hominum animos poſſet, disciplina inſuper tām ſevera, ac triftis, atque tetrica inter eos recepta fuerat, ut fidem omnem ſuperet, in tanta vitiorum dulcedine, quanta ple-rosque omnes gentilium animos occupaverat, repertos fuiffe, qui Christiani ut fierent, acerrimo studio deſiderarent. Non eſt meri hominis, inquit Chryſtoſtomus orat. Chriſtum eſſe D E U M, tantum Orbis brevi ſpacio per agrare, terrā mariq., ad res tales tali modo vocare homines, malā conſuetudine occupatos, imò à tantā malitiā poſſeffos; & tamen ab hiſ malis liberare humanum valuit genus, non Romanos tantūm, ſed & Persas & omnes barbarorum gentes, &c. Et quae verò inter Christianos expeſtari poterit felicitas, quoſ ipſum nomen odiosos reddebat, ut non tantūm ab omnibus ho-noribus arcerentur, ſed etiam domo, patriā, fortunisq; omnibus exuti, exules; extorresq; eſſe juherentur. Atque hæc ſola ſufficere potuiffent religioni inſectandæ & maledicendæ. Ferenda verò erant multo adhuc plura & atrociora. Damnabantur Christiani ad metalla, iisque ſubjiciebantur tormentis, quibus vehementio-ra & crudeliora excogitari poterant nulla, ſupplicia verò infere-bantur adeò frequentia, ut teſtentur, qui earum rerum monumen-ta compoſuerunt, nullā fame, nullā pestilentiā, nullo bello plus hominum uno tempore abſumptum. Si quis Christianum fe-teretur, parata erant vivicomburia, crutes, & infinita tormenta alia, atque genera mortis non pauciora. Alii quidem poſt unguias ac fidiculas, poſt crudelijima verbera & varios ipſo etiam diu hor-rendos cruciatū ſammis abſumpti: aliī verò in mare demerſi: aliī car-nificibus capita ſua amputanda alacri animo præbuerunt: Nonnulli tormentis ipſis immortui: quidam fame conſumpti: aliī denique in cru-cem acti: pars eo modo, quo malefici vulgo ſuffigi ſolent: pars atroc-ius, capite deorsum verbo clavis conſixi, & virvi conſq; ſervati, quoad

A D L E C T O R E M .

quoad in ipsis patibulis fame interiissent , uti refert Eusebius lib. 8. cap. 8. Et quis vero isto rerum statu vel unicum saltem reperiri posse putasset , qui ipse sese in cruciatum dari & tormentis omnibus vehementissimis subjici cuperet? tantum abest , ut propter persecutiones istas Ecclesiam Christianam ullo aliquo vel gentili vel Judæo auctiorem fieri potuisse , ad fidem proclive sit. Et tamen civitas Christiana quotidie nova capiebat incrementa , accendentibus integris populis , & innumeris aliis saluti suæ æternæ consulentibus. Nempe , ut verissimè scribit Ludovicus Vives lib. de condit. Christian. sub Turcā , nulla in terram decidebat cruoris martyris stilla , ex quâ non centum Christiani viderentur surgere. Adeo erat efficax sanctus ille cruor , qui exemplo principis & auctoris sui pro ipso eodem libenter fundebatur. Nec enim quicquam proficiebant Inquisitores , dum nihil magis multitudinem attonitam ad religionis hujus admirationem tum & amplexum invitabat , quam Christianorum religiosa obstinatio. Etenim vixdum adversus primos lata erat sententia (sunt verba Eusebii ex lib. 8. c. 9.) cum alii aliunde ad tribunal judicis prosilierunt , Christianos sese confessi. Et pericula quidem cunctaque multiformitum tormentorum genera parvi ducebant : supremi verò omnium numinis cultum liberâ voce absque ullo metu profitebantur , & cum gaudio atque hilaritate ridentes capitalem sententiam excipiebant , adeò ut in laudem Conditoris omnium Dei psalmos hymnosq; & gratiarum actiones ad extremum usque spiritum concinerent. Eaque constantia martyrum faciebat , ut ipsi interdum persecutores & inquisitores sacrilegis renuntiarent , & verum veri Dei cultum amplecterentur , uti patet ex passione Sancti Savini Episcopi & martyris , per quem utrâque manu priùs truncatum Venustianus Augustalis Tusciae , cui à Maximiano Imperatore inquisitio in Christianos commissa fuerat , ab Idolatriâ revocatus , Christianæ Ecclesiæ nomen dedit , & sacro baptimate accepto Christianus deinceps dici voluit , quem & ipsum propterea Maximianus capitis supplicio affici jussit. Taceo alia infinita exempla , quibus hominum animi à Christianâ fide prorsus alieni & in ejus pernitiem omni opere atque ope annitentes ,

toti

P R A E F A T I O

toti protinus immutati, ipsum illud supplicium, quod in alios paraverant, subire cupidissimè desiderarunt.

Hac ratione in immensum excrevit numerus Christianorum, sed qui per totum terrarum Orbem inter varias nationes & gentes ita diffusus fuit, ut nunquam universi tam aliquam Rerpublicam civilem constituerint. Qui Turcici imperii habitatores describunt, bona fide testantur, Muhammedanis ubique ferè permixtos agere Christianos, tanto ipsis, quibus serviunt, numero saepè superiores, quanto viribus & armis inferiores. Nec dubium mihi est, si sub unum aliquod summum imperium colligi & congregari possent universi, qui nomen Christi profitentur, fore, ut maximam Orbis habitabilis partem sint occupaturi. Nunc vero, quam exiguum est illud, quod tenent. Qui globi terreni dimendi rationes inquirunt, perswasum nobis hoc cupiunt, ex triginta ejus partibus, tot enim ejus præsupponunt segmenta, quinque tantum ab Christianis teneri, sex à Muhammedanis, & novendecim ab Ethnicis idololatris. Minima omnium est haec portio, quæ Christianis cessit, ut vel hinc pateat asserti fides, quo Salvator noster testatum voluit, regnum suum non esse de hoc mundo. Videbatur ætate Constantini M. Imperatoris mundus veluti intrudi in Ecclesiam, dum per eum professio Christiana non tuta tantum, sed etiam honorata facta erat. Nec diu tamen stetit ista felicitas, postquam non tantum immanissimæ hæreses vel ex Pauli Samofateni supercilioso fastu, vel ex Arii dialecticâ, vel ex Aetii inscitiâ ipsa solidissima Christianæ fidei fundamenta conquassarunt, sed etiam ipsi inter se Episcopi acerrimè de summis sedibus certare coeperunt. Ex liberalitate enim & munificentia tūm Imperatorum, tūm quorumvis aliorum, qui per fortunas suas cultum divinum promoveri posse perswasum habebant, & rem suam familiarem ingenti incremento auctam reddiderant Episcopi eminentiores, Romani præsertim, & facultates ad largiendum tantas jam comparaverant, ut etiam illos, qui amplissimo prædicti erant magistratu, & summos in Rep. gerebant honores, superare posse crederentur. Notum est ex Hieronymi ad Pamachium *contra errores*

Johan-

A D L E C T O R E M.

Johannis Hierosolymitani apophthegma ex ore Prætextati, qui præfetus Urbi, postea designatus Consul fuerat, exceptum, solitum fuisse eum ludentem Papæ Damaso dicere: *Facite me Romæ Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Non ergo miretur quisquam, tantos propter istud sacerdotium excitatos deinceps fuisse tumultūs, ut non acerrimæ tantum contentiones, sed cædes etiam haud raro ederentur cruentissimæ. In perpetuam Christiani nominis ignominiam prostant adhuc ea, nec delebuntur unquam, quæ historiæ suæ inseruit Ammianus Marcellinus homo gentilis & rerum istarum scientissimus de certamine, quod mutuo inter se habuerunt Damasus & Ursicinus Episcopatūs Romani competitores. *Damasus*, inquit lib. 27. cap. 3. & Ursicinus supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflitabantur, ad usq; mortis vulnerumq; discrimina adjumentis utriusq; progressis: quæ nec corrigere sufficiens Juventius (ex questore palatii) nec mollire, vi magnâ coactus secessit in suburbanum: & in certatione superaverat Damasus, parte, quæ ei favebat, instantे. Constatq; in basilicâ Siginini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die CXXXVII. reperta cada-vera peremptorum: efferatamq; diu plebem ægrè delinitam. Neq; ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantq; vehiculis insidentes, circumspetè vestiti, epulas curantes profusas, adeò, ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine Orbis despedā, quam vitius opponunt, ad imitationem antistitutum quorundam provincialium viventerent: quos tenuitas edendi potandi, parcissime, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humi spectantia perpetuo numini verisq; ejus cultoribus ut puros commendant, & verecundos &c. Agnoscit gentilis, dedecere Christianos tantam potestatem & splendorem, quantum ex curiâ suâ, Ecclesiæ vix tum pace data, ostentabat Episcopus Romanus. Ab eo tempore multo splendor, sed & multo remissior facta fuit Romæ pietas, ita, ut qui hodiè vel ad Papatum, vel ad quemvis Episcopatum, adspirant, neque spiritum Ecclesiasticum secum ferant, neq; in illis cathedris re-

))
peri-

P R A E F A T I O

periant; sed postquam adepti id, quod prensarunt, fuerint, illico principum in morem se gerunt, præsidiario milite stipati incidunt, exercitum conscribunt, in aciem ducunt, vicinis terrorem inquiunt, subditis graves existunt, suamq; aulam tam magnificè instruētam habent, ut cum Regibus paria facere queant. Sub idem tempus, vivente adhuc Damaso Episcopo Romano, etiam Constantinopolitanus Episcopus caput erigere, atque altiores spiritus exhalare cœpit, indignum ratus, inferiore loco se subsidere, postquam Urbs, cuius Ecclesiam regebat, domicilium Principis factum & privilegiis Quiritium auctum fuit. Cumq; difficile esset, Alexandrino & Antiocheno patriarchis Concili Nicæni autoritate nitentibus, & sua jura tuentibus, statu quæstionem movere, Heracleensi etiam Episcopo, qui jus ordinandi Episcopum Constantinopolitanum habebat, reverentia deberetur, cautè sibi procedendum putavit Nectarius tūm temporis Episcopus CP. Commodum in ipsâ illâ Imperii sede coactum erat concilium, ut de Macedonii doctrinis judicarent. Et in hoc obtinuit Nectarius, ut post Romanum statim Constantinopolitanus in ordine sequeretur Episcopus, submoto in tertium & quartum locum Alexandrino & Antiocheno: non aliam quidem ob causam, nisi quod, ut Socrates, Sozomenus & Nicephorus Callistus testantur, Constantinopolis esset junior Roma, adeoq; in gratiam Imperatoris, cui grave videbatur, novam suam Romam non perinde ut veterem illam Ecclesiæ prærogativâ gaudere. Mansit tamen Heracleensi Episcopo jus ordinandi, idq; retinuit usq; ad tempora Nicephori Gregoræ. Neq; quid acquisivit amplius Episcopus CP. in isto, quod tum illic loci habitum fuit, Concilio, nisi solum honorem & sessionis prærogativam: Potestas patriarchalis alia data illi tūm nulla fuit. Ab hoc tamen aditu januâq; patefactâ ad ulteriora pergere animum induxerunt Successores, ut fieri solet, si quando æmulatio & ambitio mentem expugnaverint. Erant in viciniâ Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseон exarchi, qui & patriarchæ dicebantur, & patriarchalia ornamenta gestabant, quippe qui αὐτοὺς φαλοὶ & nulli alias patriarchæ subjecti erant. Quia autem illi unam tantum ac singularem in totâ diœcesi provinciam jure metropolitico regebant & administrabant,

A D L E C T O R E M.

strabant, atque adeo inter metropolitas universæ dioecesos principem locum obtinebant, unde & exarchi dicebantur, sed in illos nihil quicquam jurisdictionis habebant, & ne quidem ordinandi eos potestate pollebant, incredibile inde desiderium excitatum fuit in animis Constantinopolitanorum, invadendi istas dioeceses, sibiq; eas subjiciendi. Intemperantiū igitur suā illā honoris prærogativā in Synodo Constantinopolitanā concessā usi vindicarunt sibi variis artibus ordinationes istorum metropolitanorum, easq; continuarunt usque ad Concilium Chalcedonense, in quo jus plenum patriarchicum illis concessum, &, quod consuetudine hactenus invaluerat, confirmatum fuit, & quidem eum in finem, ut scribunt in synodali epistolā Patres illi, ut consuleretur tranquillitati Urbium metropolitanarum. Id verò cùm valde pungeret Pontificem Romanum, primum quasi posuit lapidem discidii deinceps magno cum Ecclesiæ malo seuti. Ut enim omnium ubiq; rerum principia parva sunt, suis progressibus & usu augentur: ita hæc quoq;, quæ ab initio in solo honore consistebat, Constantinopolitanī Episcopi prærogativa, nova quotidiè capiebat incrementa, donec in eam potestatem exsurgeret, quæ Pontifici Romano caput obvertere posset.

Dum verò hæc in Oriente agebantur, alia in Occidente inter Ecclesias Africanas contingebat facti species, quæ itidem ex præsumpta Pontificis Romani superioritate originem ducebat. Apiani presbyter ab Episcopo suo remotus Romam appellaverat, & benignè audiebatur, adeò ut Zosimus Papa Episcopum ejus Urbanum aut excommunicari vellet, aut se Romæ sistere. Ibi tūm Episcopi omnium provinciarum Africæ cum eo ejusq; successoribus, Bonifacio & Cœlestino, per quatuor aut quinq; continuorum annorum spacium, modestè primum, mox verò, cum Romani desistere nollent, haud paulò acerbius disceptarunt, maximè postquam ex authenticis Concilii Nicæni exemplaribus manifestum factum esset, non haberi in illis canonem, ad quem provocaverant Pontifices Romani, Sardicensem pro Nicæno venditantes. Prudentissimè, ajunt in epistolā Synodicā, justissimeq; pro viderunt, quæcunq; negocia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuiq; pro vir-

P R A E F A T I O

rie gratiam sancti Spiritus defuturam, quæ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur: maximè, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia sue provinciae, vel etiam universale provocare. Nisi forsitan quisquam est, qui credat, unicilibet posse Deum nostrum examini inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium Sacerdotibus denegare. --- Executores etiam Clericos vestros quibusque potentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum videre cuperintibus præfert, videamus inducere &c. Ceperat jam tunc Romanus Episcopus non contentus primatu ordinis, semper & ultrò ei concessò, primatum præterea potestatis sibi arrogare, & reliquos cum patriarchas, tunc totius Orbis Episcopos non ut fratres & Collegas habere, sed ut subditos. Quod cum neque Constantinopolitanus neq; cæteri in Oriente patriarchæ ferre possent, Romanum res suas sibi habere jussérunt, exortoq; schismate inter se fortius coaluérunt. Sed & Constantinopolitanus Episcopus deinceps nimiè sui æstimatione elatior factus, quod in ejus Urbe non, ut in reliquis, Imperatoris Legati, sed Imperator ipse resideret, idcirco sibi dominatum in cæteros arrogavit, atque uti Imperator dominus terrarum orbis, ita ipse quoq; Oecumenicus h. e. terrarum orbis patriarcha dici voluit. Quanquam autem Gregorius Magnus Romanus Episcopus id vehementer & acerbis verbis improbaret, ex tali fastu propinquaque jam esse Anti-Christi tempora, haud temere conjiciens; ipse tamen, dum in alio id insectanter & graviter vituperaret, summam simulando humilitatem, speciosas subindicationes pro majestate sedis Romanæ tantum cum animi contentione inseruit, ut Romanam tyrannidem si non inceperit ipse, saltem, ut Bonifacius III. eam auspicaretur, occasionem dederit. Post obitum enim Gregorii Bonifacius ille tertius æmulatione accusatus, majore cum contentione Constantinopolitano Patriarchæ propter titulum istum insultavit, cumq; ut desisteret ille, impegnare non posset, ab Imperatore Phoca subitam Romanorum defensionem metuente, obtinuit, ut Romanus deinceps pro Oecumenico Episcopo, & sedes Apostolica pro capite omnium Ecclesiastiarum

A D L E C T O R E M .

fiarum haberetur. Processu temporis ergo illud usurpari coeptum, ut ambo Episcopi, Romanus scil. & Constantinopolitanus Oecumenici, id est, universales appellarentur, hic quidem universalis patriarcha, ille universalis Papa. Post decretum enim ab Hildebrando sive Gregorio VII. editum, Papæ nomen soli Episcopo Romano in Occidentali Ecclesiâ proprium factum fuit, idque nec invidiam excitavit apud Constantinopolitanos, quod apud Græcos Papæ nomen etiam Lectoribus tribueretur, uti patet ex constitutione Isaaci Comneni, quæ extat in jure Græco-Rom. lib. 1. pag. 121. Possem de his & aliis etiam inter reliquos patriarchas sœpissimè excitatis contentionibus addere multo plura, si quidem in his immorari animus esset. Et hæc quidem, quæ dixi haec tenus, disciplinam tantum concernunt & conversationem externam Episcoporum primarum sedium inter se, ut inde constet, eos, qui eadem in Deum fide, eodem sensu, eodem studio, atque mente conjuncti, & veluti principalia membra corpus unum sub uno capite continere debuerunt, charitatem omnem, virtutem Christianorum propriam & à Magistro tanto-perè commendatam, per ferocem & protervam superbiam exuissè. Quodsi porrò ad certamina, quæ à primis nascentis Ecclesiæ incunabulis Christianam fidem pessimè vexarunt, excurrendum esset, immensi ac penè infiniti operis negotium aggredi oporteret. Fuérunt primis illis seculis hæretici penè innumerabiles, audacissimi, procacissimi, impudentissimi, quos Christianæ fidei hostis in perniciem Ecclesiæ adhuc vagientis quotidiè excitaverat. Pugnandum illicè erat adversus Simonem, Menandrum, Saturninum, Basildem, Carpocratem, Corinthum, Ebionem, Valentinum, Secundum, Marcosium, Colarbasum, Heracleonem, Lucianum, Severum, & quid istos tām prolixè commemoramus? Epiphanius numerat octoginta, Augustinus plures adhuc distinctas hæreses, quæ unā creverint cum Evangelio. Gnosticorum proximo post Apostolos seculo, quæ quantaq; fuit colluvies, multitudo, spurcitas? Quæ Marcionitarum, quæ cataphrygum protervia? Quæ Hermogenis, Apellis, Praxeæ, Artemonis, & aliorum penè innumerabilium temeritas atq; amentia? Nihil in Ecclesiæ fide, nihil in disciplinâ

P R A E F A T I O

sciplinâ ac moribus fuit, quod non illi insano fingendi ac novandi amore inverterent, mutarent, oppugnarent. Alium DEUM, alium Christum, planè aliam & creaturam & salutem fabricati sunt. Neq; Creatori suum numen, suamve monarchiam, neq; Christo suam vel carnem, vel mortem, vel crucem, neq; fidelibus suam resurrectionem integrum aut intactam reliquerunt. Alius Patrem in filium transfudit, ut Praxeas & Sabellius: alius à Patre filium toto genere divisit, ut Ebion & Artemon: alius Deum sibi finxit ingenio suo maximè convenientem. Nec fuit sanè quisquam fidei articulus, qui non pravâ interpretatione corrumperetur, & ab hæreticis infestaretur. Doctrina Christi, quæ simplex priùs erat, & λογικῶν nesciebat, coepit à philosophiæ præsidiis pendere, tandem res deducta est ad sophisticas contentiones, quibus etiamnum immersa est fidei sinceritas & orthodoxa religio. Nec enim dissidiis hisce ullo unquam tempore caruit Ecclesia, ut ferè credere oporteat, facere illa plurimū ad veritatem religionis Christianæ & salvificæ fidei tuendam, quandoquidem per schismaticorum & hæreticorum molimina, piorum concordia arctius jungitur, dumq; velut in phalangem rediguntur illorum impia dogmata, fideles ad scrutandum arcana literas fortius compelluntur, ut eo magis confirmetur impugnata veritas. Et nostrâ verò hâc ætate tantum robur accepisse in regione dissidia, ut de conciliatione nulla omnino spes superfit, quis non patietur sibi dolori esse? Supra dixi, Christianæ religionis pomoceria usq; adeò contracta inarctum esse, ut vix sextam Orbis habitabilis constituat partem, quis non discrucietur animo, hoc ipsum quod superest, tot opinionum morbis, tot morum corruptelis esse vitiatum, tot sectis divisum atq; distractum, ut penè tot sint fides, quot homines? Episcoporum præcellentiam in schismatis remedium institutam esse, scribit Hieronymus in epist. ad Evangelium. At quis nescit ab Episcopis plurima excitata fuisse schismata, & propter contentiones eorum integras à se invicem abiisse Ecclesiæ? Pudet referre, quibus conviciis & quam atrocibus injuriis se invicem exceperint, qui Apostolorum successores dici cupiunt, & à Christianâ charitate atq; pietate munus suum profitentur. Desinere tūm Christianos haberi, qui à regulâ disciplinæ excedunt, dixit

A D L E C T O R E M.

dixit Tertullianus *apolog. c. 46.* Illi vero, dum pro Christi nomine se decertare gloriantur, meram intus gentilitatem spirant, inexplicabili contentione dissidioq; & perpetuis insuper gloriae atq; ambitionis stimulis agitati, qui propterea non nisi cum honoris præfatione nominari volunt, indeq; sal terræ & lux mundi si appellen- tur, eam sibi laudem jure opinantur, nec se Apostolis minor- res putant, quorum arbitrio scilicet simus Christiani aut secus. Et hunc in modum ab ipsâ suâ nativitate in hunc usq; diem se habuit Ecclesia, firmaq; adeò stat sententia Apostoli: *Oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* Nec desit in successoribus, qui Apostolorum animos aliquando occupaverat, ambitionis ardor, ut adeò hodiè eadem planè & nî fallor majore cum pravitate atq; animorum exultatione agatur comoedia, mutatis tantum personis, quam non nisi Salvator ipse inscrutabili suo consilio tandem aliquando in felices exitus & suorum salutem æternam convertet. Fac interim gentilem aliquem erroris sui con- victum desiderio salutis suæ teneri, & ex hoc viam ad eandem inquirere, venire ad Christianos, videre ibi tot seetas, tot animorum distractiones, tot bellorum incendia, tot flagitia summo cum dede- core ac turpitudine patrata, audire autem, longè aliam vitæ regu- lam à magistro suo præscriptam, eisq; charitatem præcipue com- mendatam esse, dubitabit sanè is ad primum statim congressum, utrum apud Christianos verus veri D E I cultus habeatur. Locu- turum eum introducit Chrysostomus *homil. 33. in ad a,* his verbis: *Vellem fieri Christianus, sed nescio, cui adhæream: multæ inter vos sunt pugnae, seditiones, ac tumultus: Nescio quod dogma eligam, quod præferam: Singuli dicunt: ego verum dico, cui credam, nescio, quùm ego Scripturarum sim ignarus: Tilli utring, idem prætexunt.* Et hæc qui- dem labes omnem Ecclesiæ ætatem malè habuit, sed quæ novissi- mo hoc tempore multo gravior facta fuit, uti solent pleriq; affe-ctus senio fieri molestiores. Dum enim in separatas prorsus, & sine omni conjunctionis spe disjunctas atq; divulsas partes scissus est Christianorum coetus, ut dum alius quidem Papæ Romani, alias Papæ Constantinopolitani, alias Lutheri, Calvini se dicit esse alias, propemodum vix constet hodiè, quis Christi sit, cuius tamen esse volunt

P R A E F A T I O.

volunt singuli. Atq; ut suas quisq; partes sectetur studiosius, easq; nemini non suscipendas persuadeat, zelo omnes anteeunt, qui Romano Papæ fidem suam addixerunt, incredibili pertinaciâ contendentes, non esse vel umbram spei de æternâ salute cuiquam reliquam, nisi se & obedientiæ & fidei Romani Pontificis subjecerit, & hanc communionem cum Romano Pontifice tam necessariam esse, ut qui ad eam non accesserit, planè extra Ecclesiam esse intelligatur. At verò fatetur Bellarminus lib. 4. de Pontif. c. 14. tempore Concilii Constantiensis tres fuisse Pontifices, Gregorium XIII, Benedictum XIII, & Johannem XXIII, quodq; non facile judicari potuerit, quis eorum esset verus ac legitimus Pontifex, cum non deessent singulis doctissimi Patroni. Fatetur Gilbertus Genebrardus lib. 4. chronogr. seculo 10. per annos ferè centum & quinquaginta à Johanne VIII. ad Leonem IX. Pontifices circiter quinquaginta à virtute majorem prorsus defecisse, apotacticos, apostaticosve potius quam Apostolicos. Et cum his verò quis communionem habere velit? quis lumen & succum fidei ab his expectabit? quis tales capita Ecclesiæ universalis fuisse sibi persvasum habebit? Nihilo magis eadem fide & legibus religionis coguntur Ecclesiæ omnes uni Episcopo subjici, quam eodem jure & institutis justitiæ, uni Principi omnium Rerum publicarum summa permitti potest. Nec quicquam facit, quod antiquitatem crepant & successionem Episcoporum Romanorum perpetuam argumentum faciunt vere Ecclesiæ. Ad illam enim respondebit Gentilis & qui inter idololatras natus est, interprete Symmacho in relat. ad Valentian. Theodos. & Arcad. Si longa etas autoritatem religionibus faciat, servanda est tot seculis fides nostra, & sequendi sunt majores nostri, qui secuti sunt feliciter suos. Qui deinceps Romam introducit loquenter verbis, qualibus etiam hodiè haut præter rem utatur. Romam, inquit, nunc putoemus adfistere, atq; his vobiscum agere sermonibus: Optimi Principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar ceremoniis avitis. Neque enim paenitet. Vivam more meo, quia liberum. Hic cultus in leges meas orbem redigit, hæc sacra Hannibalem à mœnibus, à Capitolo Senonas repulerunt &c. Atq; uti hæc ipsa instantia satis ostendit, ab antiquitate frustra

A D L E C T O R E M.

frustra peti argumentum veritatis, ut adeò reetè statuat Arnobius *contra gentes lib. 2.* religionis autoritatem non esse tempore metiendam: ita, quod à successione Episcoporum petitur probationis fundatum multo adhuc infirmius est, & tam protervæ assertioni prorsus impar. Nec enim successio ex serie Episcoporum sive præconum & ministrorum Evangelii æstimata tanti facienda est, quantifieri debet successio ipsius Evangelicæ doctrinæ & fidei. Optimè Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Athanasi, de successione in Ecclesiâ Alexandrinâ, quippe in quâ, ut & Constantinopolitanâ perinde ut in Romanâ, successio Episcoporum doceri potest: Ceterum, inquit, totius populi suffragiis, non autem secundum pravum exemplum, quod postea inolevit, neg, per vim ac cædem, sed apostolico & spirituali modo ad Marci thronum evehitur, non minus in pietate, quam in primariâ sede vel dignitate successor. Ut enim, si bunc spes des, remotissimus ab eo futurus est: ita si illius rationem habeas, statim proximus invenietur. Quæ quidem propriè successio existimanda est. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoq; throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoq; in throno censeri debet. Atq; hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam & veritatem habet successionis. Neg, enim qui per vim irrupt, successor babendus est, sed qui vim perpeccus est: nec qui contrariam sententiam tuetur, qui eadem fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci & tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiae succedere dicimus. Ut adeò fides salutifera & vera Christiano, tum religio æstimari debeat ab integritate fidei, sacramentorum & morum, non ab externâ successione Episcoporum, quippe quæ nullib; magis vel prava vel interrupta aut minus sibi constans invenitur, quam in Ecclesiâ Romanâ. Sribit Cardinalis Bellarminus lib. 4. de not. Eccles. c. 8. ad veræ Ecclesiæ charakterem requiri, ut in eâ sint veri Episcopi: ubi autem non sint veri Episcopi & legitima successio, ibi non esse veram Ecclesiam, atque istam legitimam successionem ab Apostolis deductam esse debere. Stante hâc hypothesi, velim ego benevolium Lectorem informari à Cardinali Baronio, quales in Ecclesiâ Romanâ seculo ineunte decimo fuerint Episcopi, & tum, quid de

X X X

jaætatâ

P R A E F A T I O

jaetata toties successione sentiendum, quantumve argumento,
quod ex ea petitur, tribuendum sit, ipse facile judicabit. Sic au-
tem ille ad ann. DCCCC XII, n. 8. Quae tunc facies sancte Ecclesiae
Romanae? quam foedissima, cum Romae dominarentur potentissimae eque
ac sordidissimae meretrices? (intellecas vult Theodoram nobile scot-
rum Adelberti Tusciae marchionis pellicem, ejusq; filias, Maro-
ziam & Theodoram juniores,) quarum arbitrio mutarentur sedes,
darentur Episcopi, & quod auditu borrendum & infandum est, intru-
derentur in sedem Petri earum amasii Pseudopontifices, qui non sint, nisi
ad consignanda tantum tempora in catalogo Pontificum Romanorum
scripti. Quis enim a scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere
posset Romanos fuisse pontifices? Nusquam cleri eligentis vel postea
consentientis aliqua mentio, Canones omnes pressi silentio, decreta Pon-
tificum suffocata, proscriptae antiquae traditiones, veteresq; in eligendo
summo Pontifice consuetudines, sacriq; ritus & pristinus ritus prorsus
extincti &c. Eam in rem Baronius ibid. sub num. 13. & 14. adducit
verba Liuthprandi ex lib. 2. cap. 13. qui, cum retulisset, Maroziam
istam meretricem, alteram ex Theodorae filiabus, ex Papâ Sergio,
Johannem, postea itidem Papam Romanum, nefario adulterio
genuisse, & Johannem istum deinceps cum Theodorâ sorore Ma-
roziæ, suâ materterâ, nefarios habuisse concubitus, tandem addit:
Theodoræ autem Glycerii mens per versa, ne amasii ducentorum milia-
riorum interpositione, quibus Ravenna sequestratur à Româ, rarissimo
concubitu potiretur, Ravennatis hunc Sedis Archiepiscopatum coegerit
deserere, Romanumq; prob nefas, summum Pontificium usurpare. Ta-
lia, inquit Baronius ad ann. DCCCC XXXI. pati coada est Ro-
mana Ecclesia, ut sic deformiter à tanto monstro in uasa conculcaretur,
- - ut sèpè contigerit, eam non habere legitimè creatos pontifices. Tale
monstrum, pergit Baronius ad ann. DCCCC XXXIII, n. 5. sèdem
Apostolicam occuparat, cui non ætas, non natalitia, non legitima suffi-
garetur electio, & qui nihil nisi nomen Pontificis malis usurpatum arti-
bus retineret. Non puto, quenquam inter gentiles tam stupidum
& ab omni ratione destitutum fore, qui ex istâ flagitiorum & omni
animi pravitate corruptissimorum Episcoporum successione, fon-
tem veritatis inquiri posse, sibi persvaderi patiatur. Leonis apud
Gratia-

A D L E C T O R E M.

Gratianum c. gratia I.q.I. sententia hæc est: *Simoniaci gratis non accipiunt. Igitur gratiam, quæ maximè in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant: profecto, quod habent. Quid habent? Spiritum utiq; mendacii. Si, quod statuit Baronius, illegitima est electio istorum, quos retulit, Episcoporum, interrupta sanè erit legitima ista ab Apostolis computanda successio, & corrupta atque vitiosa eorum ordinatio, nec ipsi quicquam accepérunt, quod successoribus traderent. Et sic petit omne, quod ex successione petitur, veræ fidei fundamentum. Quod si porrò ire velit gentilis, & cujusq; Episcopi statum familiarem atq; domesticum attento inspexerit oculo, vehementer animi pendebit, quid de doctrinâ Christianâ statuere ipse debeat, dum præsertim videt, hodiernum, quod agunt antistites & sacræ civitatis proceres, vitæ genus, cum Christo civitatis ejus conditore & comitatu ipsius, nihil quicquam commune habere. Ille paupertatis assertor, & ærumnosorum signifer cohorte etiam pullatâ stipatus semper erat; Hi opibus circumfluentes & delitiis otioque torpidi, conspicui esse volunt in aulâ sericato & splendido & regio quandoque comitatu. Ille cum nihil possidere visus est, tūm suos omnes assecas & seclatores omniū fortunarum possessione dejecit; Hi unde illi dejecti sponte decefferant, cùm eorum sint successores, velut interdicto recuperandæ bona illa cum omni causâ, & multo etiam ampliora reposcunt. Ille regnum suum, Rex ipse supremus dum esset, non esse de hoc mundo dixit, seq; adeò & suos magistratui subjectos agnovit; hi non immunes tantum ab omnibus oneribus civilibus, atque exempti ab omni jurisdictione esse volunt; sed etiam fasces sibi civiles submitti, & magistratibus quibusvis, imò & Regibus superiores esse cupiunt. Post Christi abitum ex his terris, qui cum eo fuerant, comites & satellites, primi scil. fidei Christianæ professores, ipsi etiam sine omni imperio fuérunt, sed & fortunæ humilis, pescatores, textores, & si quid his simile, pauperes cætroquin, & tūm gloriæ, tūm fortunarum omnium contemptores. Comparare verò cum his sicubi libet eorum successores, antistites Ecclesiarum, quales sunt hodiè, diversa apparebunt omnia. Mox*

)))) 2

ubi

P R A E F A T I O

ubi quis electus fuerit, electio autem non fit eo modo, quo consvervit olim in Ecclesiâ Apostolicâ & primitivâ, prima ferè cura est de equitatu, strepituq; aulico, & satrapiâ magnificâ. Inde succedit vi-
tæ genus totum aulicum, consilium aulicum, supercilium aulicum,
nihil Episcopale, nihil humile, nihil Apostolicum, nihil Ecclesia-
sticum, præter amictum clericalem: familiaribus verò, qui de seculo
sunt, plerumque datur vestitus barbaricus sæpè adeò monstru-
fus, ut terrori esse possit ipsis illis, quos comitantur. *Gloria Episco-
pi est, pauperum opibus pro videre: ignominia sacerdotis est propriis stu-
dere diuitiis,* inquit Hieronymus apud Gratianum c. gloria 12. q. 2.
Excutiendæ si fuerint rationes Antistitum nostrorum, si producan-
tur tabulæ, quantula reddituum Ecclesiasticorum portio in paupe-
res expensa invenietur? Recitentur sumptuum species, & impen-
diorum nomina, maxima eorum pars facta erit in cupedias, in de-
licias popinales, & in luxum abdominis, in equitum numerosum
& elegans, in instrumentum lautum Episcopii, in supellecilem, in
vasa argentea, in vestem stragulam & peripetasmatu, in stipendum
cohortis militaris, in aucupium & accipitriarios, in venaticum mi-
nisterium instrumentumq;, in ferculorum structores, in scurras, in
ludos, in acroamata, in thymelicos, in eos quos à cavillis habent &
à voluptatibus, & in alia deliciarum mille nomina. Non arbitror
quenquam inter Apostolos tale vitæ genus Ecclesiastico ministerio
conveniens statuere potuisse, quippe quibus propositum fuit, hu-
militatem, mansuetudinem, charitatem, omniumq; virtutum com-
pendium, & mundani hujus apparatus contemptum docere, non
verbis tantum, sed & suo exemplo. Nec in veteri Ecclesia Episcopis
tales quid in usu fuit, quorum vitam & mores cum attenderet Albertus
Cranzius metropol. lib. 2. c. 27. discrimen eorum à suis coævis
optimè animadvertisit. Sed finis sit, inquit, comparationum inter pon-
tifices veteres & nos. Illi regna conquiserunt aeterna per summa pie-
tatis merita: nostri si sui in pace & tranquillitate, & rerum abundantia
transigant tempora, felices se prædicant: & vocantur, dum vivunt, san-
cti patres, bene etiam, si boc nomen retinent in morte. Justa est querela,
quam eâ de diversitate, & illâ præsertim, quæ in Romana curia se
exserit, penetrantibus verbis movet Jurisconsultus celebris Jo-
han-

A D L E C T O R E M .

hannes Petrus de Ferrariis in practic. tit. 30. gloss. 7. Attende, tu ju-
venis, inquit, quod in his temporalibus excrevit hominum cupiditas, ut
nitantur totis viribus adscendere ad jurisdictiones, honores, damnatio-
nes, Et si possibile foret, ad cœlorum mansiones. -- In tantum enim
excrevit hic appetitus, quod nedum Laici, sed etiam summi sacerdotes
Et clericis sunt tali morbo ac vitio penitus infecti. Vides enim, quod ipse
Papa, qui deberet tanquam verius vicarius vestigia sequi Jesu Christi,
possidere Et manu armata nititur detinere jurisdictionem in terris, ci-
vitatibus Et villis, Et locis, quæ sunt naturaliter Et a mundi creatione Et
Christi ordinatione, Imperii Romani, juxta illud: quod est DEI, redda-
tur DEO, Et quod est Caesaris, Cesari. Imo ipse Papa in ipsum Impera-
torem nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere, atq; ab-
ominabile audire. Nam naturaliter à Principio mundi omnes clerici,
nedum Laici erant sub potestate Et jurisdictione Imperii, sed ipsorum Im-
peratorum dulcedine Et benignitate fuérunt clerici dimissi sub potestate
Papæ, Et beneficium hoc, tanquam ingrati, sciunt male cognoscere. Benè
ergo Et sancte faceret ipse Papa, si totam temporalem jurisdictionem in
manibus Imperatoris remitteret, nec aliter unquam Respublica Et maxi-
mè Italia quiesceret. Et ex hoc status universus Clericorum magis red-
deretur DEO ac populo de votis, Et ipse Papa cum Cardinalibus vi-
veret quietius ac de votiis, ac DEO Et populo magis acceptus ac gratus.
Hæc ita Papiensis exeunte anno M CCCC XIII, ut ipse ait. Quæ
quidem verba expungi voluerunt Censores in indice expurgato-
rio, non aliam tamen ob causam, nisi quod ea, quæ vera sunt, ferre
nequeat Curia Romana. Pergit idem tit. 51. gloss. 5. Sed adverte,
quod licet inter Laicos talis communio pariat discordiam, attamen inter
Clericos Et religiosos parit concordiam: quia concorditer vadunt ad
unam mensam, concorditer incedunt Et habitant, Et per eandem domum
Et Ecclesiam concorditer tractant Et student rapere Et ad se trahere lai-
corum substantiam, Et suam ipsorum clericorum augere Et nullo modo di-
minuere. Et propter hoc fecerunt professe legem, quod non possint vendere
nec alienare, nec dividere eorum bona. Sicq; in brevi neceesse est, quo do-
minus bona laicorum subjiciantur dominio Clericorum, nisi bonus Impera-
tor pro videat, qui donationem Constantinire vocat, Et legem faciat, ut
omnium Clericorum status ad statum mendicantium fratrum penitus re-

X X (3)

duca-

P R A E F A T I O

ducatur, & Papa cum Cardinalibus similiter ad vitam Christi & Apostolorum ejus de veniat. In cuius terrâ est generalis vicarius, unde servare debet gesta ejus, quia omnis Christii actio & Apostolorum ejus debet esse exemplum & regula vi-vendi ipsi Papa & Cardinalibus ejus; alioquin non videretur ejus esse perfectus vicarius, qui deviare velit in statu & vita à moribus & exemplis ejus &c. Istiusmodi differentias, & à veteri disciplinâ multum recedens discrimen notarunt alii viri cordati, maxime doluerunt semper, ex istâ Episcoporum eminentiâ concidisse Imperii robur, & Principum potentiam, hodieq; magis metuendam esse in ipsis Regni visceribus Ecclesiæ Rectoris indignationem, quam externas qualiumcunq; hostium vires. Quod si urgeantur Ecclesiasticæ Monarchiæ fabricatores, ut sui hujus ab Apostolorum regimine discessûs rationes reddant, nihil audies aliud, nisi illud, veterum regendæ Ecclesiæ formam conducibilem non esse, & errare eos, qui cupiant res ad eum statum reducendas, quo fuérunt temporibus Apostolorum, aut in Ecclesiâ primitivâ, eosq; tempora distinguere nescios, quid istic & quid illis conveniat, non animadvertere: ecclesias olim fuisse parvas, Ethnicis circumscriptas, & quia hosti vicinas, hoc inter se magis unitas, at nunc & amplas & sine adversario, qui in viâ officii contineat, illisq; regendis præfici oportere Rectores seculari regimini aptos, præsertim cum per divinam providentiam & benignitatem Ecclesiæ opes in tantum excreverint, ut nihil ineptius hodiè dici queat, quam Deum Ecclesiæ divitias, & non unâ earum usum donasse. Pensanda sunt tempora, inquit Petrus Abbas Cellensis epist. 10. & diversi statûs temporum, secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitiva Ecclesiâ sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret & pallium. Alius enim erat & alibi, id est, extra Ecclesiam, qui persequebatur, alius & alibi, id est, intra Ecclesiam, qui patiebatur &c. Utrum autem sufficere hæ rationes queant Gentili veram Ecclesiâ querenti, valde ambigo, præsertim si ad normam & regulam à fundatore præscriptam eas examinaverit, nec vanâ gloriæ cupidine occupatus ipse fuerit, quâ Prætextatum Præfectum Urbi ad Christianam fidem commoveri se velle ex Hieronymi relatione dixi supra. Et sanè ipsi quoq; inter se Christiani, qui divina sapiunt, dum

A D L E C T O R E M.

dum accuratiū Regnum istud in terris Ecclesiasticum considerant, mirari satis nequeunt, inversum planè statum hodiè & vitæ rationem ab Evangelicis doctrinis & Apostolicis institutis prorsus alienam, omnibus inter se conspirantibus mundi partibus inductam fuisse. Habet suum Christus regnum & multo quidem excellētius, quam ut seculari & mundano regimine pollui & contaminari debeat, suum habet splendorem, suas opes, suas voluptates ac delitias, & istas singulas omnibus humanis regnis atque imperiis superiores. Et qui verò dux erit ad regnum cœlorum, uti suam Ecclesiam vocat fundator, qui totus est in regno mundi? Habeant profana profani, in Episcopo quod infimum est, totius Imperii superat fastigium. Quo plus addiderit quis de mundi bonis, hoc minus de suis impertiet Christus: Quo ab illis erit purgator, hoc effusus hinc locupletabitur. Pugnantia enim verò sunt terrena & cœlestia: infima & summa: Ethnica & Christiana: profana & sacra: & hæc tamen inter se magnâ confusione miscentur. Videas hinc mitram cum galeâ, sacram pallam cum mavoriâ loricâ, benedictiones cum bombardis, clementissimum, si diis placet, pastorem cum armatis latronibus, sacerdotiū cum bello combinari: per machinas oppida subruere eum, qui claves habet regni cœlorum, auctorē belli esse, qui pacis omne salutat populum, puppim & proram rerum suarum constituere in pecunia, qui opes esse contemnendas docere populum debet, propter oppiduli alicujus iditionem aut interceptum vestigal Orbem bellorum tempestatibus commovere, qui ex ore Christi & Apostolorum profiteri debet, non esse resistendum malo, sed malorum improbitatem bonitate superandam, injuriam beneficio pensandam, inimicum benefactis obruendum. Ad quid verò tandem utrumq; istud fastigium, in quo divaricatis pedibus consistere se posse putant Ecclesiarum Rectores? Omnimodum difficultum est bonum præstare Principem. At longè pulchrius, sed idem longè difficultius est bonum agere sacerdotem. An non necesse est fieri, ut dum utrumq; munus in se recipiunt, neutri satisfaciant? Vix fieri potest, ut quemadmodum Hercules duabus monstris, ita unus duabus difficultimis rebus administrans par sit. Imò verò monstrum ipse dicetur & erit revera tūm, quando idem

P R A E F A T I O

idem & abbas & satrapa, episcopus idem & bellator existit. Claudio Espencaeus Theologus Parisiensis, cum secum vitam & mores plerorumque sui ævi Episcoporum pertractasset, atq; in eorum numero plurimos eosq; potentissimos principes, aut certè in aulis principum educatos observasset, quos quidem ad Episcopalia munera parum idoneos, & suo potius, cui adsueti erant, vitæ generi insistentes perspexerat, tale subjugxit judicium, lib. 2. digress. cap. 6. Sed simus sane Domini temporales simul & spirituales, Abbates atq; Barones, Episcopi, Archiepiscopi, Comites, Duces, Principes, Reges deniq; (siquidem Dominus voluerit) principum beneficio & largitate. Nibil enim vetat alicuius civitatis aut provinciae Dominum creari, si idoneus reperiatur, Episcopum: nibil item cogit talem facultates suas aut patrimonium relinquere, quasiretinens Episcopatu fungi nequeat. Commandant Volaterranus lib. 4. Jovius &c. Otthonem & Johannem Mediolani Archiepiscopos eosdem atq; Principes: commendo & ego, modo ne armorum quam sacrorum studiores continenter Italiam bello vexaverint, subiectis bello aliis atq; aliis locis in elogio sepulcri contentis. - - Sed sint haec per me licet omnia Ecclesiastici, & si ve ex hereditate, si ve Principem liberalitate merum imperium habeant, omnemq; jurisdictionem si ve ipsi, si ve eorum nomine alii exerceant & cum praediis enim si ve propriis si ve donatiis transfertur. Itaq; retineri potest, se optandum ea ne gubernatio à spirituali eos procuratione avertat: duplum gerant personam, se ne negligat propriâ functione, profana multo minus, vel potius omnium minime cruenta & bellica tractent, nisi forte necessitate plusquam urgente &c. Sed nolo ego nunc excurrere in spacium istud satis amplum ultrius, cum ubiq; prostent querelæ de moribus Episcoporum hodierorum à pristinâ Apostolicæ Ecclesiæ simplicitate degenerantibus, & ex nimio luxu fatisfentibus. Nec enim spes est, fore aliquando, ut alias vitæ rationem ineat, & abolere seculi corruptelas novâ Apostolicæ imitationis gloria intendant, qui in otiosa & plena atq; conferta voluptatibus vitâ, tum & nimia opū affluentia confidunt, seq; si aliter agant, ludibrio omnibus esse perswasum habent. Bonos quoque calidissimis votis jam tum Leonis X. ævo emanationem non sedis tantum Romanæ, sed quorumvis aliorum Episcopatum expetiisse clarissimâ veritatis luce coacti sunt ipsi adversarii

M D C X L V I
A D L E C T O R E M .

sarii nostri confiteri. Adriano VI. Pontifici Maximo , cùm mun-
cium suum ad comitia Imperialia ablegandum instrueret, inter alia
hæc excidérunt verba: *Dices, nos ingenuè fateri, quod Deus hanc
persecutionem Ecclesie suæ inferri permittit, propter hominum peccata,
sacerdotum maximè ac prælatorum, à quorum peccatis populi peccata de-
ri vari Scripturæ clamant.* --- Scimus in hæc sanctâ sede aliquot jam
annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in man-
datis, omnia deniq; in perversum mutata, nec mirum, si ægritudo à capite
in membra, à summis Pontificibus in alios descenderit. Omnes nos decli-
nauimus, unusquisq; in vias suas, nec fuit jam diu, qui bonum ficeret. Et
Et sanè de emendatione tali in ipsis etiam conciliis, Constantiensi
præsertim, Basileensi & aliis, ringentibus quantumvis Pontificibus,
actum sæpè multumq; fuit, sed irrito planè conatu, & nullo succes-
su, cùm ipsi illi, qui medicamina vulneri & remedia adhibere de-
bebant, à se ipsis incipere, suisq; in visceribus vomicas aperire ob-
stinatissimè recusarent. Venit etiam Imperatoribus quibusdam
nostris, Friderico primo pariter & secundo, ut & Ottoni IV. in men-
tem tale Episcopos corrigendi desiderium; sed territi illi fremitu
Pontificum Cleriq; universi, ne tentare quidem istud negotium ausi
fuerunt. Aded verum est, quod dixit Manuel Imperator cap. 44.
*ad filium: Qui ab officio deflexit, rebusq; mentem valde corruptentibus
semetipsum addixit, eum consentaneum est in illâ cœcitate cogitationum,
quocunq; tandem pergit iterq; dirigat, à rectâ viâ deflexere.*

Quæ omnia dum ego mecum sæpè discutio , operæ precium
me facturum putavi, si paulo accuratiū in veterum disciplinam ex-
currerem, & quæ antiquitus fuerit Ecclesiæ facies, quæve Episco-
porum conditio, quæ partes, quæ facultates, quod vitæ genus,
quæ quantave in Republ. axiomata, specialiori disquisitioni sub-
jicerem. Animum addidit HERMANNUS CONRINGIUS,
Vir æternâ laude dignus, & unicum seculi nostri ornamentum, qui
cùm ei de diaconis & diaconissis librum à me conscriptum misis-
sem, ut de Episcopis etiam eorumq; sacerrimo Monarchâ trafta-
tum aggrederer, jam ante tale quid intendentí stimulos addidit, &
non invitum ad eam rem impulit atq; pertraxit. Movebat insu-
per, quod ex nostris nemo, quod sciam, adhuc argumentum istud

))))

occu-

P R A E F A T I O A D L E C T O R E M.

occupasset, sed pleriq; omnes primoribus tantùm labiis degustare, & extremis, ut dicitur, digitis attingere soleant; quæ autem ex adversa parte prostant volumina satis spissa, aliud plerumq; scribendi genus sequantur, nec tám ea, quæ ex primis Ecclesiæ Doctoribus discere oportet, quám quæ sequioribus temporibus ad sacram monarchiam stabiliendam recepta sunt, prolixè & multo cum apparatu exponant. Ego verò in hâc tractatione ita me gessi, ut quæ à piâ antiquitate in salutarem Ecclesiæ usum & vel ab Apostolis vel ab Apostolicis viris & Ecclesiæ Doctoribus introducta & recepta fuerunt, tûm quæ corruptelæ subinde illa everterunt, inq; eorum locum successerunt, adductis eam in rem veterum testimoniis simplici stylo explicarem. Abstinui interim ab omni verborum acerbitate, quibus sibi contradicentes excipere & proscindere fæpiuscule solent, qui Ecclesiæ causas agunt, non ignorans per convitia & maledicta obnubilari magis & turbari Lectorum animos, quandoq; & deterri à lectione eos prorsus, quám ut aliquid boni inde sperari queat. Magis movet simplex oratio efficacibus argumentis grava, & testimoniorum ponderi subnixa, quám verba maledicē contumelioseq; in dissentientes projecta. Hoc unicum ego in votis habeo, ut divinæ gloriæ & Ecclesiæ saluti tribuantur, si quid à me in hoc argumento præstitum fuerit. Ut enim aliqua inde ad me redundet fama, nulla ratio appareat, cur sperare debeam, quam nec affectavi quidem aut desideravi unquam, non instrutus præsertim sufficienti librorum apparatu. Si quid autem à me commissum hic fuerit, quod censuram & animadversiō nem mereatur, in meliorem id interpretaberis partem, Lector benevole, & æquo judicio humanitati condonabis, quippe quam ab erroribus immunem esse, ipse si homo fueris, nunquam asseverabis. B. V.

CASPAR ZIEGLERUS.

Ad